

dæmones sic posse placari, ne sibi, ut timebat, apparerent, et nocumentum afferrent: et quia ista sacrificia vocabantur purgationes, quibus purgabantur habitacula humana, ne in illa ingrederentur dæmones, et animæ defunctorum, sicut nunc purgamus domus aspergentes eas aqua benedicta contra dæmonum insultus, ita tunc februa, seu purgationes per domos aspergebantur; et quia purgationes vocantur Februa, vocatus est mensis iste Februarius: unde Ovidius lib. II Fastorum canit:

Ipsæ ego Flaminicam poscentem Februa vidi.

Id est vidi aspergentem purgationes, ut notat eruditissimus Tostatus par. II Defensorii, cap. 81, columna 2, in fine. Martius dictus est a Marte, cui fuerat a Romulo consecratus, præcedente esse ejus filium, atque hinc Romulus ipsum mensem primum anni instituit: Unde Ovidius lib. I Fastorum cecinit:

Martis erat primus mensis, Venerisque secundus.

Aprilis secundum aliquos dictus est a verbo *aperire*, ex quo in hoc mense terra germinans suum sinum aperiat; secundum vero alios dictus est a verbo græco Veneris, cui falsæ deitati creditæ matri Æneæ, seu Romuli, mensis erat sacratus, juxta illud Ovidii jam adducti, *Venerisque secundus*, cum primus esset Martius Marti sacer. Maius secundum Varronem et alios dictus est a Maia, cui ut creditæ matri Mercurii ab idololatris Romanis hoc mense sacrificia offerebantur; ab aliis vero censetur sic dictus a majoribus natu, in quorum gratiam erat consecratus; unde Ovidius loc. cit. cecinit: *Tertius a senibus*. Junius dictus est, ut volunt aliqui, a Junone, cui tali mense sacrificia offerebantur; alii vero dicunt, quod sit sic dictus a junioribus, in quorum juventutis gratiam erat dedicatus. Hinc Ovidius loc. cit. cecinit: *Juvenum de nomine quartus*; Et Beyerlinck loc. cit. § Quintus ex Plutare., in quæst. Roman. 19 et 84, quærens cur mense Maio uxores non ducant Romani? concludit: « An, ut quidam dicunt, quia Manus a majoribus natu appellatus est, Junius a junioribus? Nuptiis vero accommodatior est junior, ut inquit Eurip., nam senectus Venerem valere jubet, ipsaque Venus senibus infensa est: Abstinent igitur Maio nuptiis, junium expectantes, qui Maium ordine excipit. » Julius, qui vocabatur Quintilis, eo quod quintus esset a Martio, sic dictus est a Julio Cæsare, eo quod, ut ait Macrobius lib. I Saturnal., cap. 12, ipse Julius Cæsar natus sit tali mense ad quartum Idus Quintilis. Augustus, qui appellabatur Sextilis, dictus est ab Augusto imperatore, eo quod tali mense primum iniisset consulatum, triumphos tres in Urbem intulisset, Ægyptum subjecisset Romanæ ditioni, ac tandem civilibus bellis finem imposuisset. Alii autem quatuor sequentes menses nominantur ab ordine numeri, quem habent a Martio, qui in anno a Romulo constituto, erat primus: Unde September dicitur, quia septimus erat a Martio: October, quia octavus: November, quia nonus, et December, quia decimus

erat. Romulus enim annum constituerat ex solis decem mensibus, quibus rex Numa Pompilius supradictos duos menses, nempe Januarium et Februarium adjecit, ac præposuit: Hinc Ovidius lib. I Fastorum sic cecinit:

Martis erat primus mensis, Venerisque secundus.

Hæc generis princeps, ipsius ille pater.

Tertius a senibus: juvenum de nomine quartus:

Quæ sequitur numero turba notata suo est.

At Numa nec Janum, nec avitas præterit umbras, Mensibus antiquis præposuitque duos.

(38. Annus (ab annulo dictus, eo quod in seipsum redeat, ut ex Varrone tradidimus sub. verb. *Annus*, n. 1, seu ex ana, quod est circum, et nonas, quasi circumiens, ut ex aliis ibid. notavimus) universaliter loquendo est totum illud temporis spatium, quo astra quæque integram suam sub Zodiaco revolutionem perficiunt. Macrobius enim lib. II, in Somnium Scipionis, cap. 11, sic expresse dicit: « Annus non est is solum, quem nunc communis omnium usus appellat; sed singulorum, seu luminum, seu stellarum, emenso omni cœli circuitu, e certo loco in eundem locum reditus, annus suus est. » Unde sic quælibet cujusque planetæ periodica revolutio annus vocari potest juxta divisionem anni in annum planetarium, qui est tempus illud quo quilibet planeta suum cœlum decurrit.

(39. At relicta hæc anni acceptio, et divisione, hic agimus de celebriori et communi anni divisione in annum *solarem*, et annum *lunarem*. Annus solaris est illud tempus, quo sol zodiacum perlustrat, suoque ad alterutrum ex tropicis accessu et recessu, annuam tempestatum Veris, Æstatis, Autumni, et Hyemis varietatem efficit, constatque hic annus diebus 365, horis 5, minutis primariis 48, et secundariis 55. Annus lunaris est illud tempus, quo luna gyrat, seu circuit per totum suum cœlum, seu per zodiacum integrum; constatque hic annus, si sit communis, duodecim lunationibus, seu mensibus lunaribus: diesque subinde continet 354, horas 8, minuta primaria 48, et secundaria 37, adeo ut brevior sit diebus 11, et aliquot fragmentis anno solari. Si vero sit embolimæus, constat hic annus tredecim lunationibus, seu mensibus lunaribus, diesque subinde continet 383, horas 21, minuta 34, vel circiter: Embolimæus namque is dicitur propter lunationem, quam supra communem annum continet, quæ lunatio embolimæa, sive *intercalaris*, vel *inserta*, seu *interposita* vocatur. (40. Siquidem Macrobio tradente apud Calvinum in Magno Lexico tom. I, litt. *E. intercalare*, interserere, seu interponere est, ut colligitur ex leg. Denique 3, § ff. 3, de Minoribus.

(41. Annus alius naturalis est, et alius civilis, seu legalis. Annus naturalis ille dicitur, qui computatur de momento ad momentum; l. Anniculus 132, ff. De verb. significationibus; et hic in nuptiis exigitur; Novell. 74, et 100. In pupillis et minoribus l. Ultima, Cod. Quando tutores esse desinant, l. Denique 3, § 3, ff. De minoribus

In præscriptionibus temporalium actionum, l. 6, ff. De obligationibus et actionibus: in Carboniana possessione, l. 1, Cod. de Carbon. edict. et in aliis similibus. Annus civilis, seu legalis ille dicitur, qui computatur non de momento ad momentum, sed solum de die ad diem, adeo ut qui ad extremum anni diem pervenerit, annum absolvisse videtur; l. 134, ff. De verbor. significat. Et hic annus exigitur in muneribus, et honoribus; si damnum injuria datum sit in testamenti factione, l. 5, De testament. in manumissione; l. Placuit 1, De manumissionib. in usucapione, l. 5 et 7, ff. De usurpat. et in similibus.

(42. Anni civiles diversimode fuerunt a diversis nationibus usurpati; alii enim utebantur annis solaribus, et alii lunaribus. Item alii annum æstate unum determinabant, et alterum hyeme; alii quadripartitis temporibus, sicut Arcades, quorum anni trimestres fuere; alii anno menstruo, sæpe bimestri, non raro trimestri utebantur, ut Ægyptii, apud quos aliquos millia annorum vixisse produntur, cum menses in numerum annorum collocarent. Vide Magnum Lexicon Calvini, tom. I, verb. *Annus*, ubi ex illis varias recenset annorum diversitates juxta varias alias nationes.

(43. Item annorum varia apud varias nationes fuerunt initia, quæ brevitatis gratia ad duo potissimum genera perstringo, Hebræorum nempe, et Romanorum. Apud Hebræos igitur annus sacer, seu ecclesiasticus incipiebat a mense Nisan, qui nostro fere Martio respondet. Unde de hoc anni initio dicitur Exod. cap. XII, n. 2: « Mensis iste » quo nimirum Hebræi egressi fuerunt de Ægypto, « sit vobis principium mensium: primus erit in mensibus anni. » Annus autem civilis incipiebat a Thizri, qui nostro fere Septembri respondet; ex eoque colligitur, quia festum Tubarum prima die Septembris celebrari solitum, dicebatur principium anni. *Levitic.*, cap. XXIII.

(44. Apud Romanos autem antiquitus secundum constitutionem Romuli annus incipiebat a Martio, eratque ab ipso divisus in decem menses duntaxat, ut jam fuit dictum, continebatque hic Romuleus annus dies 304, ita ut sex menses, id est Aprilis, Junius, Sextilis, September, November, December tricenorum essent dierum; quatuor vero Martius, Maius, Quintilis, October, tricenis, et singulis expedirentur. Sic Macrobius lib. V Saturnalium, cap. 12: Numa autem Pompilius duos addidit menses, Januarium scilicet et Februarium, constituitque ut hic duodecim mensium annus a Januario demceps exordium haberet, eo quod hic mensis fuerit Jano bicipiti consecratus, sicque tanquam bicipitis dei mensis, alter Janus biciceps videretur, respiciendo finem anni antecedentis, et exordium sequentis; voluitque quod duodecim menses solares totidem lunaribus adæquarentur, statuendo quod menses sex essent triginta dierum, et sex dierum viginti novem; unde annum integrum 354 dierum constituit.

(45. Cum autem hoc dierum numero integra solis revolutio non absolveretur, idcirco Julius Cæsar dies addidit undecim et sex horas, sicque annum 365 dierum et sex horarum conclusit, ipsum adhuc inchoando a mense Martio, mensibus autem imparibus, videlicet Martio, Maio, Quintili, seu Julio, Septembri, Novembri, et Januario dies dedit 31. Aliis vero sex paribus, nempe Aprili, Junio, Sextili, seu Augusto, Octobri, Decembri, et Februario, dies solum triginta concessit; cum hac advertentia quod ad complendum Januarium ultimum mensem impari, diem unum subtraxit Februario ultimo mensi pari, cui proinde superfuere dies tantum viginti novem. Deinde imperator Augustus, ægre ferens mensem sibi cognominem, nempe Augustum uno die minorem esse Julio, unum adhuc diem subtraxit Februario, et Augusto adjecit; sicque Februario, ut adhuc nunc in anno communi, remansit dierum duntaxat 28, quasi inferis, quibus erat sacratus, et diminutio, et par numerus conveniret, ut notat Macrobius lib. I Saturnalium, cap. 13. Ne vero tres una ponerentur menses triginta et unius dierum, unum idem Augustus surripuit Septembri, et addidit Octobri, ac unum detraxit Novembri, et dedit Decembri. Sic expresse eruditissimus Edmundus Purchotius Institut. philosophic., tom. III, part. II, sect. 2, cap. 9. Talem autem sic constitutum dierum numerum retinent adhuc impresentiarum omnes anni menses, ut patet ex versiculis datis supra n. 42.

(46. Anni initium quomodo calculetur in curiis, et tribunalibus, in bullis, brevibus et decretis apostolicis, in actibus publicis, et instrumentis, in actibus privatis, et epistolis, ac hujusmodi? Vide verb. *Annus* a n. 10, usque in finem: ubi a n. 3, ad nonum traduntur etiam regulæ ad dignoscendum, quando annus accipiendus sit pro incepto, vel pro completo.

(47. Supra recensitus annus solaris Julianus a Julio Cæsare communiter dictus, vel est communis, vel bissextilis. Annus communis ex ipsius Julii Cæsaris constitutione comprehendit dies 365, et 6 horas integras. Annus vero bissextilis dies continet 366. Cum enim sex illæ horæ, quas annus communis præter dies 365, continet, quaternis quibusque annis collectæ, diem completum efficiant, uno die annus communis augetur: qui dies cum ex ejusdem Julii præscripto inter 23 et 24 Februarii intercaletur, seu inferatur, et interponatur, bis eo anno secundum Romanam computandi rationem *Sexto Kalendas Martias* pronuntiarum debet. Unde annus ille *bissextilis* nomine appellatur; centenarii autem, et vicenarii anni juxta Julii constitutionem erant bissextiles; hinc duo notabilia vitia ex dicta Kalendarii Juliani constitutione evenisse progressu temporis compertum est.

(48. Primum itaque Juliani Kalendarii notabile vitium fuit anticipatio vernalis æquinoctii; cum enim sex illæ horæ, quibus Julius supra dies 365 annum constare

definierat, non essent integræ, sed undecim circiter minutis truncatæ, ideo statim primo anno a constituto Juliano Calendario ver anticipavit, sed undecim illis minutis, sicque singulis successive annis anticipando, effectum fuerat, ut circa ann. 1582, (quo, ut infra dicitur, observari cœpit Gregoriana Calendarii emendatio) æquinoctium vernalium diebus decem antecederet sedem, quam tempore Julii Cæsaris obtinebat, et a 21 mensis Martii die ad undecimam fuisset redacta.

(49. Secundum autem Juliani Calendarii notabile vitium fuit noviluniorum et pleniluniorum antecessio: ex quo enim cyclum decem novennalem, seu numerum aureum ita constantem esse statuatur, ut decimo nono quoque anno redeunte *novilunia* et *plenilunia*, in eosdem dies, horas et minuta redeant, quæ tamen una hora et minutis circiter 30, tempus anticipant, sicque post annos 312 uno die citius contingant, tanta fuit tempore Gregorii XIII noviluniorum antecessio, ut ea citius quatuor diebus peragerentur quam aureus numerus illa in Calendario demonstraret; ita ut dies illa esset reipsa xviii lunæ, quam Kalendarium xiv designabat, et hujusmodi; ob idque sacrum Pascha non amplius a 13 die in 21 lunæ, sed a die ejusdem 19, in 25, celebraretur, contra præscriptum primi Nicæni concilii celebrati anno Christi 325, quod canone 20 statuerat Pascha in perpetuum esse celebrandum die Dominico proximo post lunam 14 primi mensis, id est, ejus mensis, cujus luna 14 incidit in æquinoctium vernalium, aut proxime post æquinoctium a die 15 lunæ ad diem 21 ejusdem, ita ut neque differre, neque anticipare liceret.

(50. Ut autem dictis Juliani Calendarii vitii succurreretur, jamdiu usque in conciliis Constantiensi, et Basileensi res fuerat actitata, ac postea Romano Pontifici a concilio Tridentino demandata; demum Gregorius XIII, convocatis ex toto orbe peritissimis astronomis, remedium optimum præstitit, ac correctionem absolvit anno 1582, ejusque correcti Calendarii observantiam indixit constituit. incip. *Inter gravissima*; Unde Gregoriana correctio est communiter dicta.

(51. Primum igitur Juliani Calendarii vitium sic cor. exit. Decem integros dies ab ipso detraxit, statuitque ut post quartam diem Octobris S. Patri Francisco sacram, sequens dies anno 1582 non esset quinta, sed pro quinta decima eo anno haberetur; sicque vernale æquinoctium suæ pristinæ sedi die 21 Martii restituit. Dicti autem decem dies de mense Octobri subtracti sunt, quia in ipsis paucissimi dies Festi occurrunt. In Gallia vero dies decimus Novembris appellatus fuit vigesimus. Ne vero vernale æquinoctium a die 21 Martii versus initium mensis rursus reverteretur, statuit ut ex quatuor centenariis annis unus tantum bissextilis esset, nempe 1600, minime vero 1700, 1800, 1900, qui bissextiles esse deberent secundum Julianum Kalendarium; sicque dies tres intercalares quadringentis

quibusque annis ommitterentur, ut omissione horarum trium intercalarium *præcessio*, seu *anticipatio* compensaretur; unde distichum:

Bissextilis adest annus quicumque quaternus :  
Centenus tollet, quadragentesimus addet.

(52. Ex quibus clara habetur regula ad dignoscendum quando occurrat post Gregorianam Calendarii correctionem annus *bissextilis*. Detrahis igitur centesimis, dividatur quod superest per 4, si ex hac divisione nihil relinquitur, annus ille erit *bissextilis*; secus vero, si post illam divisionem aliquid remanserit; verbi gratia annus 1744 erit *bissextilis*, nam detractis centesimis remanent anni 44, quibus divisus per 4, nihil ex hac divisione relinquitur; unde annus 1744, debet esse *bissextilis*. Pro centesimis autem stat evidens ex quatuor centenariis, ab anno videlicet 1600, *exclusive* quartum duntaxat esse *bissextilem*, nempe 2000, 2400, 2800, etc.

(53. Secundum vero Juliani Calendarii vitium in cyclo decennovennali, quamvis correctione difficillimum prima fronte videretur, tamen facillime et promptissime fuit correctum ex ingeniosissimo libro Aloysii Lilli celeberrimi Romani medici et astronomi de propagando Aureo numero in 30 Epactas.

(54. Epacta nomen græcum est, quod dies superinductos significat, eos scilicet quibus annus solaris communis continens dies 365, annum lunarem communem continentem duntaxat dies 354 superat, seu excedit. Epacta igitur primi anni erit 11, cum hoc numero annus communis solaris lunarem annum communem excedat: atque adeo sequenti anno novilunia contingent 11 diebus prius, quam anno primo; sicque Epacta anni secundi erit 22, cum eo anno rursus annus solaris lunarem annum excedat diebus 11, qui additi ad 11 dies primi anni, efficiunt 22, ac proinde finito hoc anno novilunia contingent 22 diebus prius quam primo anno; epacta autem tertii anni erit 3, quia cum rursus 11 dies debeant adjici, ex quo continuus sit anni solaris cursus undecim diebus superans continuum cursum anni lunaris, efficietur numerus 33, a quo si rejiciantur 30 dies, qui unam lunationem embolismalem constituunt, relinquetur 3, et sic semper deinceps per continuum cuiusque anni augmentum 11 dierum, abjectis tamen 30, quando rejici possunt.

(55. Pro dignoscendis ex epacta lunæ diebus, debent ipsi addi tot dies, quotus fuerit mensium numerus non a Januario, sed a Martio inclusive numeratus. Per hanc enim additionem habetur epacta, seu ætas lunæ pro prima die illius mensis in quo lunæ ætas quæritur. Si deinde huic numero numerus etiam dierum mensis adjiciatur, totalis summa ætatem lunæ pro tali die indicabit, dummodo dicta summa tricenarium numerum non excedat; quia tunc luna non erit nisi tot dierum quot dies, abjectis 30, ex illa summa supersunt: verbi gratia, si scire velis ætatem lunæ pro prima die Aprilis prædicti anni 1744, sumenda erit epacta 13,

quæ huic anno competit, et numerus mensis, nempe 2, cum Aprilis sit secundus a Martio numeratus: Sicque prima dies Aprilis erit 17 lunæ. Si deinde scire velis ætatem lunæ pro die decima ejusdem mensis Aprilis, debet addi supradicto anni numero epactali 13, num. 2 secundi mensis a Martio, et simul dies 10 ejusdem Aprilis; sicque dies decima Aprilis erit 27 lunæ. Si autem scire velis ætatem lunæ pro die 25 dicti Aprilis, debet addi dicto currenti numero epactali 13, num. 2 secundi mensis a Martio, et simul dies 25 dicti Aprilis; sicque cum totalis summa ex diebus 13 epactæ, duobus secundi mensis, seu Kalendarum, et 25 mensis ascendat ad dies 42, detractis 30, supererunt 12, qui ætatem lunæ pro tali die 25 ostendent.

(56. Indictio est 13 annorum solarium revolutio ab 1 usque ad 13, qua revoluzione peracta, iterum reditur ad unitatem. (57. Indictionis nomen venit a pensatione, seu solutione quorundam tributorum, quorum canon, et modus in Romano imperio quotannis olim indicabatur. « Cum enim Romani, inquit S. Eligius hom. 3, (apud bibliothecam PP. tom. II) totius mundi potirentur dominio, a subjecto sibi orbe tripartito, per tria quinquennia solutionem census indixerunt fieri; et hoc modo, ut aurum uno, argentum altero, æs vero tertio persolveretur quinquennio. » Unde ne horum tributorum solvendorum memoria laboreretur, instituerunt Romani, ut nulla conventio scriptis exarata valeret, nisi haberet annum *Indictionis* notatum. Quoniam autem tempore *Indictionis* usus incepit, quamvis certo sciri non possit, probabilis tamen est incepisse anno Christi 312, die 24 Septembris, qua die a Constantino Magno victus fuit Maxentius, et inde Christiana religio fuit in libertatem asserta, in cuius gloriosi facti, et tanti beneficii memoriam fertur Patres in concilio Nicæno statuisse, ut deinceps nulla amplius fieret computatio per *olympiades*, sed per *indictiones*, ab ipsa die dictæ tam solemniter et Christianis favorabilis victoriae, incipiendas. Petavius lib. II, De doctrina temporum cap. 40 et 41. Ricciolus tom. I Chronologiæ, lib. IV, cap. 16, et alii; Et de facto eas incepisse mense Septembri indicat l. Si Provincia 13. Cod. de annonis, et tributis, et l. Omnem canonem 1. Cod. de militari veste, ac Novella 128. (58. Indictiones vero nunc, præsertim in bullis, ac aliis pontificiis rescriptis incipiunt a Kalendis Januarii. \* De indictionum origine consule Marchionis Maffei viri cl. Veronam illustratam, part. I, et Norisium. \*

(59. Olympias autem erat spatium 4 annorum completorum in orbem rediens, quo elapso in Olympia, olim Pisa Elidis, vel Eleæ, aut Pisatidis regionis in Peloponneso primaria urbe, agones et ludi in honorem Jovis Olympii, Olympici idcirco dicti, maxima totius Græciæ solemnitate et concursu celebrabantur. Ejusmodi ludos Pisu instituisse dicitur, de quo tamen præter nomen, ut notat Strauchius in Breviar. Chro-

nolog., lib. IV, c. 16, hodie parum constat. Pelops Tantalii filius in honorem Jovis Olympii eos celebrare jussit, quos intermissos restaurare Alceus, et Hercules Alceus filius; ac demum peculiaribus additis statutis, Iphitus Præxonidæ filius, Elidis rex illos iterum neglectos innovavit, a quo subinde *Iphitei* dicti sunt. Hi vero ludi quinto quoque anno ineunte, id est post quatuor annos completos sub initium æstatis, seu æstivi solstitii, testibus Livio lib. XXVII, Censorino in lib. De die Natali, cap. 8. Pindaro ode 3, stroph. 2, et aliis celebrabantur a luna 11, usque ad 16, inclusive, qua et iudicium, et sententia de victoribus ferebatur; prioribus autem undecim diebus athletæ variis se prælusionibus exercebant. Olympiadibus singulis, peracto iudicio, pronuntiata sententia, victoribus declaratis, victorum nomina statim per publicos sacerdotes ei curæ præpositos tabulis publicis inscribebantur, quibus eisdem etiam alii notabiliores eventus ad singulos singularum olympiadum annos summam adnotabantur. Prima olympias, a qua cæteræ ab historicis numerantur, seu olympiadum initium contigit sub prædicto Iphito rege anno periodi Julianæ 3938, mundi 3228, ante aram communem Christianorum 776, ut notat eruditissimus Purchotius part. II Physic., sect. 2, cap. 9, § Epactæ profanæ, et alii plures. Sed satis de his; cum ex dicto concilio Nicæno nulla amplius fiat computatio per olympiades, sed per indictiones.

(60. Unde pro inventiendi cujuslibet anni indictione, addendus est numerus ternarius anno, cujus quæritur ipsa indictio, et totalis summa dividenda est per 15, et tunc numerus ex divisione relictus ostendet indictionem quæsitam. Quod si ex divisione nihil supersit, indictio erit 14; v. g. anno 1736, addantur tres numeri, seu tres anni, summa totalis erit 1739, quæ cum divisa per 15 relinquat 14, annus 1736 erit 14 indictionis pontificiæ; Item anno 1737 addantur tres, summa erit 1740, quæ cum divisa per 15 nihil relinquat, indictio anni 1737 erit 15. Unde distichum:

Si tribus adjunctis Domini divideris annos.  
Ter tibi per quinos indictio certa patebit.

(61. Cyclus solaris est revolutio 28 annorum, qua absoluta, ad eundem deinceps litterarum Dominicalium ordinem regredimur. Non enim *solaris* dicitur quod motum solis aliquem specialem indicet, sed quod ejus beneficio litterarum Dominicalium seriem cognoscamus: Sicque solaris est dictus, eo quod dies Dominica, qua littera *Dominicalis* designat, olim dies *solis* nominabatur.

(62. Pro inventiendi numero cycli solaris debent addi 9 anni anno currenti, et totalis summa dividenda est per 28, et tunc numerus ex divisione relictus ostendet annum cycli solaris quæsitum. Quod si ex divisione nihil supersit, annus cycli solaris erit 28; v. g. si anno 1700, addantur 9, erunt 1709, quæ summa totalis divisa per 28 dabit in

quotiente 61, et supererit 1. Hinc annus 1700 est primus cycli solaris, eique e regione respondet littera Dominicalis in tabulis; unde distichum:

Junge annis Domini ter ternos, perque viginti  
Octo seca summam; cyclus solaris habetur.

(63. Ut autem sine tabella littera Dominicalis possit inveniri dantur sequentes versiculi:

Astra dabit Dominus, gratisque beabit egenos,  
Gratia Christicolæ feret aurea dona fideli.

Hæc verba respondent mensibus juxta suum ordinem, nempe *Astra* Januario, *Dabit* Februario, *Dominus* Martio, et sic de reliquis; sola autem prima littera in illis consideratur, et ipsa est Dominicalis affixa primæ diei respectivi mensis. Unde *Astra* ut incipiens per *A.* indicat primæ diei mensis Januarii competere litteram Dominicalem: *A.* Dabit ut incipiens per *D.* indicat primæ diei Februarii competere litteram Dominicalem *D.*, et sic de reliquis. Cognita igitur prima die alicujus mensis, quota nimirum in hebdomada illa sit, clare patebit quænam littera Dominicalis illi anno respondeat. Hinc quia Martius anno 1744, a die Dominica, seu die Domini incipit; secunda illius dies erit lunæ, tertia Martis, et sic de reliquis. Unde cum primæ diei Martii competat *D.* secundæ diei *E.*, tertie *F.*, quartæ *G.*, quintæ *A.*, sextæ *B.*, septimæ *C.*, littera Dominicalis ejusdem anni 1744, a Martio incipientis erit *D.* Quia vero annus 1744 est bissextilis, ac proinde duæ litteræ Dominicales illi competunt, si littera *D.* est Dominicalis in Martio, littera *E.* erit Dominicalis in Januario usque ad diem 25 Februarii, ubi nimirum sit diei intercalatio; atque adeo littera, quæ ab initio Januarii usque ad festum S. Matthæ in diem Dominicam incidebat, deinceps a festo S. Matthæ in feriam secundam cadit, et dies Dominica designatur præcedenti littera; eo quod orbis iste litterarum Dominicalium non septem annis, sed quater septem, id est 28 annis expleatur.

(64. Cyclus lunæ, seu aureus numerus est cyclus 19 annorum in perpetuum revolubilis, a Metone quodam Atheniensi excogitatus, ut lunaris motus cum solari ad æqualitatem perduceretur. Cyclus enim est certus annorum numerus excogitatus per antiquos, ut certius de tempore rerum gestarum posteris constaret. (65. Ut autem prompte sciatur quotus sit cyclus lunæ, sive numerus aureus cujuslibet anni, debet addi annus unus anno currenti, et totalis summa dividi

#### KYRIE ELEISON.

Kyrie eleison est vox græca, et significat *Domine miserere*. Et fuit a Græcis translata ad Romanos eodem idiomate ob reverentiam antiquitatis, et Ecclesiæ unitatem inter Græcos, et Latinos, et sicuti eodem idiomate translatae sunt ab Hebræis hæc voces Hebraicæ; *Amen, Alleluia, Sabaoth, Osanna*, ut ostendatur unam esse Ecclesiam, quæ ex Hebræis, et Græcis primum, deinde ex La-

per 19 et si quid residuum fuerit, id numerum cycli lunaris, seu numeri aurei anno currenti debitum indicabit. Si vero nihil remanserit, cyclus lunæ, seu aureus numerus erit 19: v. g. si annus currentis sit 1700, et ipsi addatur 1, habebitur 1701, quæ summa totalis si per 19 dividatur, invenientur in quotiente seu exponente 89, et supererunt 10, qui demonstrant annum 1700 esse cycli lunaris, seu aurei numeri decimum; quod totum indicat sequens distichum:

Unum addes annis Domini, summamque novenis  
Et denis tribues, numerus tibi ut aureus adsit.

(66. Appellatur autem communiter hic lunæ cyclus aureus numerus, quia tanti hujusmodi cyclum fecit antiquitas, ut aureis pingeretur, seu scriberetur characteribus, et signanter Athenienses aureis numeris illum in foro præfigerent, et, ut multi referunt, Alexandrini in tabula argentea aureis litteris descriptum Romanis olim miserint.

(67. Non possunt locorum ordinarii, tam sæculares, quam regulares addere suis Kalendaris sanctorum officia, nisi ea dumtaxat, quæ a Breviarii Romani rubricis, vel a sac. Rituum cong. seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur. Neque propria auctoritate, et quovis prætextu possunt mutare ritum, qui habetur in Calendario Romano, seu rubricis Breviarii in altiore ritum, neque extendere concessa officia de loco ad locum. Sac. Rit. Congreg. 3 Aprilis 1668.

(68. Kalendarium Gregorianum pro distributione festorum, jejuniorum, et hujusmodi ab Italo-Græcis servari præcipitur. Bened. XIV., t. I, Const. 57, incip. *Etsi Pastoralis*, § 9.

\* Gregorianum Kalendarium passim a protestantibus proscissum, atque etiam a nonnullis catholicis nostrorum temporum mathematicis, quos inter Eustachius Manfredus, et Jacobo Bettazzo, in quibusdam reprehensum vindicarunt Joannes Busæus edita Moguntia 1585 disputatione apologetica pro Calendario Gregoriano, P. Mahoudeau apud Trivultianos Patres in Ephemeridibus litterariis an. 1738, August. art. 78, et Septembr. art. 87. P. Joannes Baptista Ricciolius, in epistola ad Jo. Dominicum Cassinum, P. Horatius Borgondio in Constructione Calendarii Gregoriani propugnata, Romæ 1729, et Melito a Perpiniano Capuccinus in apologia pro Calendario, seu computo Paschali, et in epistola animadversoria ad R. Jacobum Bettazzi. \*

tinis coadunata est; Quarti Commentar. in Rubric. Miss., part. 1, t. VII, n. 2. Merati t. I, par. 1. t. VIII, rubrica 2, n. 7. Hanc translationem a Græcis ad Romanos fuisse factam a S. Silvestro asserunt Rodolphus propos. 23. Gavant apud Merati loc. cit. Quarti l. c. Hoc tamen incertum videtur; Amalarius enim, Strabo, Micrologus, et alii apud Merati l. c. id tribuunt S. Gregorio

Magno. At vero fuisse in usu in tota Italia ante S. Gregorium annis 150, testatur concilium Vasense II, cap. 4, sub Felice IV celebratum, ut ex Bellarmino, et aliis referunt Gavant., et Merati loc. cit.

Ter autem repetitur *Kyrie*, ter *Christe*, et iterum ter *Kyrie* ad confessionem SS. Trinitatis, id est ter ad Patrem, ter ad Filium, ter ad Spiritum Sanctum; sed ad Patrem, et Spiritum Sanctum, sub eadem voce *Kyrie*; quia Pater et Spiritus sanctus sunt unius naturæ tantum, id est solius divinæ. Ad Filium vero sub alia voce nempe *Christe*, quia præter naturam divinam, habet etiam hu-

manam: dicitur etiam ter ad quamlibet personam ad significandum quod omnes personæ sunt in se invicem; S. Thomas 3, part. quæst. 83, art. 4. Quarti. Gavant., et Merati loc. cit.

Novies in missa repetitur contra novem genera peccatorum, id est contra originale, mortale, veniale, cordis, oris, operis, infirmitatis, ignorantie et malitie. Innocent. III. lib. III, cap. 19. Gavant apud Merati t. I, par. II, tit. 16, n. 4.\* Christianus Godofredus Grabenerus, e Protestantium secta, structuras historicas de formula *Kyrie Eleison* edidit Dresdæ 1744. V. infra v. *Litanie*.\*

## L

### LÆSIO.

Vide verb. EMPTIO et VENDITIO, art. 5, ubi late de his.

### LAICUS.

#### SUMMARIUM.

1. Laicus est penitus incapax juris spiritualis, seu ecclesiastici. — 2. Laicus spiritualia, et ecclesiastica negotia tractare non debet. — 3. Laicus nullam habet potestatem in personis et res ecclesiasticas ad n. 9. — 4. Laici omnes, etiam principes et reges, in spiritualibus causis sunt subditi judicio ecclesiastico. — 5. Laici usurpantes res ecclesiasticas conveniuntur coram episcopis, et ad satisfactionem compelluntur. — 6. Laici pro re Ecclesiæ conveniri possunt coram iudice ecclesiastico. — 7. Laici pro juramentorum observantia conveniri debent coram iudice ecclesiastico. — 8. Laici in mere temporalibus, et profanis non ligantur constitutionibus canonicis, nisi in terris ecclesiæ. — 9. Laici personis de mysteriis fidei publicæ, vel privatim disputare prohibentur sub pena excommunicationis ferendæ. — 10. Hæc prohibitio non solum comprehendit disputationem fidei dubitativam, sed etiam confirmativam. — 11. Talis prohibitio comprehendit omnes laicos, nedum indoctos sed etiam doctos. — 12. Possunt tamen laici docti de fide disputare in casu necessitatis, aut evidentis utilitatis. — 13. Possunt etiam laici docti disputare de fide disputatione materiali. — 14. Non autem disputatione formali, nisi in casu necessitatis, aut evidentis utilitatis. — 15. Laici non possunt predicare: imo laici prædicantes subjacent excommunicationi, et nisi quam citius resipuerint, alia competentis poena sunt plectendi. — 16. Laici presentibus clericis, nisi ipsis rogantibus, docere non possunt. — 17. Laicus, qui post commissum delictum, sine ulla fraude factus est clericus, gaudet privilegio fori tam quoad personam, quam quoad bona. — 18. Si vero post commissum delictum, in fraudem clericatum assumpsit, gaudet adhuc privilegio fori quoad personam. — 19. At non gaudet privilegio fori quoad bona, si iudex laicus post commissum delictum ante illius promotionem prævenit in causa. — 20. Iudex tamen sæcularis præveniens non potest in bonis talis clerici procedere nisi postquam iudex ecclesiasticus pronuntiaverit eum in fraudem curiæ sæcularis promotum fuisse. — 21. Laicus, qui dum detineretur in carcere curiæ sæcularis factus est clericus, vel professus, potest a iudice laico stringi, et puniri etiam in persona. — 22. Laicus inquisitus, et carceratus in curia sæculari, et postea dimissus sub fideiussione de se representando, si interim fuerit factus clericus,

potest pro causa illa a iudice laico ad carceres revocari, et puniri etiam poena temporis. — 23. Laicus in exilium pulsus a iudice sæculari cum hoc, ut si exilium non servaret, incideret in poenam treremium, si postea ordinatus exilium non servaverit, et propterea ab eodem iudice in carcerem coniectus fuerit, si revera ante transgressionem exilii promotus fuerit, est remittendus ad iudicem ecclesiasticum. — 24. Laici non possunt offerre oblationes in altaribus. — 25. Laici non possunt sacrificare, nec absolvere, aut ligare. — 26. Unde laicus, seu etiam clericus non sacerdos, audent celebrare, aut sacramentaliter absolvere, fit suspectus de hæresi, et est cogendus ab inquisitoribus abjurare de vehementi, et licet esset minor 25 annorum, dummodo compleverit vigesimum annum, est degradandus, et brachio sæculari tradendus, et ultimo supplicio afficiendus. — 27. Et si laicus, vel clericus non sacerdos attentaret absolvere, nulla esset absolutio, non obstante errore communi. — 28. Laici neque possunt exercere officium ordinum minorum. — 29. Laici non possunt regulariter inservire ministris in altari. — 30. Laici sub specie panis tantum possunt communicare. — 31. Laici non se, sed a sacerdotibus debent Eucharistiam accipere, nisi essent in articulo mortis, et deliceret sacerdos, vel diaconus. — 32. Laici eligere non possunt ad dignitates, et prælaturas ecclesiasticas. — 33. Et electio episcopi per laicos etiam cum canonicis facta, est nulla, non obstante contraria consuetudine. — 34. Laici nec eligi possunt ad dignitates et prælaturas ecclesiasticas. — 35. Nisi tamen Papa dispensaverit cum laico, ut possit eligi, et postea quam primum tonsurari. — 36. Aut nisi ejusmodi electio fiat ex speciali instinctu Spiritus sancti. — 37. Unde laici sunt incapaces beneficii ecclesiastici. — 38. Possunt tamen laici presentari ad beneficia a patronis eorum ordinario, sub conditione, quod clericentur intra tempus statutum ad presentandum. — 39. Laici non possunt habere pensiones ecclesiasticas. — 40. Laici, etiam patroni, non possunt conferre clericis beneficia, aliasque ecclesias, sed possunt ad ea presentare si habent jus; et si concedant sine licentia episcopi, nulla est concessio. — 41. Laici non possunt alicui domui religiosæ concedere jus patronatus sine licentia episcopi. — 42. Laici non possunt spoliare de ecclesiis seu beneficiis clericos delinquentes. — 43. Laici, qui clericos instituunt et destituunt, in ecclesiis, seu beneficiis etiam patronatus, subjacent